

Handwritten number: 47812

II u  
1083



UNIVERSITÄT  
MAGDEBURG

DE  
MORBIS  
SEXVS ELEGANTIORIS  
EX  
VITIIS MENSIVM

---

CONSENSV  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
IN REGIA FRIDERICIANA  
PRO GRADV DOCTORIS  
SOLENNITER IMPETRANDO

DIE XXVII. MART. c180cclxxix.

PVBlice DISPVtABIT

AVCTOR  
IOANNES ERNESTVS ANDREAS KOCH

HANNOVERANVS.

HALAE AD SALAM

LITTERIS CVRTIANIS.



DE  
MORBUS  
SEXVS FLEGANTIORIS  
EX  
VITIS MENSIUM

*Autumnus quae dat, non ver producit et aestas.*

PRO GRADU DOCTORIS  
SOLLENNITER IMPETRANDO  
AUCTOR  
IOHANNES ERNESTVS ANDREAS KOCH



HALLAE AD SALAM

LEONHARDUS CYPRIANUS



V I R I S

GENEROSISSIMIS, PERILLVSTTRIBVS, EXCELLENTISSIMIS,

DOMINO

RVDOLPHO AVGVSTO  
DE WICHMANNSHAUSEN,

REGIMINIS ET CONSISTORII MARTISBVRGENSIS

CONSILIARIO LONGE MERITISSIMO.

ATQVE

DOMINO

DAVIDI SAMVELI DE MADAI

MEDICINAE DOCTORI ET PRACTICO CELEBERRIMO,

SERENISSIMI PRINCIPIS ANHALTINO-COTHENIENSIS

CONSILIARIO AVLICO ET ARCHIATRO,

DIRECTORI MEDICAMENTORVM ORPHANOTROPHEI HALENSIS

FIDISSIMO,

ACAD. IMPERIAL. NATVR. CVRIOS. SODALI,

AC SOCIETATIS OECONOMICAE LIPSIENSIS

MEMBRO DIGNISSIMO

DYNASTAE IN BENCKENDORF ET DELITZ AM BERGE.

NEC NON  
V I R O  
EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,  
D O M I N O  
FRIDERICO WILHELMO DRECHSLER,  
MEDICINAE DOCTORI ET PRACTICO  
APVD MARTISBURGENSES, FAMA, MERITISQVE  
LONGE CELEBERRIMO.

PATRONIS ATQVE FAVORIBVS SVIS  
MAXVME VENERANDIS,

CVM  
ARDENTISSIMO VOTO  
OMNIGENAE ET SEMPITERNAE INCOLVMITATIS AC  
PROSPERITATIS,

HASCE LABORIS SVI ACADEMICI PRIMITIAS

D. D. D.

SEQVE VLTERIORI EORVM PATROCINIO ET FAVORI  
COMMENDATVM CVPIT ATQVE TRADITVM

A V C T O R.



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
**MORBIS**  
**SEXVS ELEGANTIORIS**  
EX  
**VITIIS MENSIVM**

---

PROOEMIUM.



Ex quo tempore studio theologico valedixi,  
castraque medicorum secutus sum, ex eo  
tritam illam veritatem confirmatam inveni:  
dari morbos utrique sexui communes, et  
sine discrimine mares pariter ac foeminas affligentes; da-  
ri etiam sexui tam sequiori, quam potiori proprios. Ast

A

ut

ut compluribus in rebus, ita et in structura partium, quatenus morbis producendis favet, sexus noster antecellere mihi videtur sequiorem; utpote qui pluribus prae nobis morbis obnoxius est. Quodsi etiam impraesentiarum ad habitum eius laxiorem, corporisque sensilioris conditionem solummodo respicerem: dictum meum satis superque probari posset. At enim vero quem artis peritum fugit, quot quantaque mala utero natales suos debent? velut eius prolapsus, inflammatio, exulceratio, scirrhus, subinde haemorrhagiae, aliaque gravissima mala in conspectum veniunt perniciemque ipsi moliantur. Atque haec inter, quibus non uterus solum sed reliquum etiam totum corpus affligitur, haud infrequens est negotium mensium turbatum. Satis enim constat, sexum amabilem, quam primum annos pubertatis attigit, fluxum menstruum experiri. Contingere id solet in aliis citius, in aliis serius, plerumque tamen circa annum decimum quartum. Quae quidem purgatio menstrua rite succedens, nulla aut levissima saltim incommoda ipsi excitat. quin admodum salutaris est excretio, unde multi morbi chronici: velut chlorosis, convulsiones, epilepsia etc. solvuntur, qui nisi hoc tempore corpori inexistere desinant, testibus HIPPOCRATE<sup>a)</sup> & LEAKE<sup>b)</sup> plerumque perseverare solent. Quodsi vero contingat, ut haec a natura sancita lataque lex violetur, multifaria inde emergunt mala. Atque de his impraesentiarum pro ingenii viribus agam; prima in sectione varia mensium vitia, morbosque inde oriundos, in altera autem methodum medendi expositurus.

SECT. I.

a) *Aphorism 28. Sect. 3.*

b) *Anleitung zu der Verhütung und Heilung der chronischen Krankheiten des weiblichen Geschlechts. a. d. engl. Leipzig 1778. p. 35.*



## S E C T I O. I.

DE

## MORBIS EX VITIIS MENSIVM

C A P V T I.

DE

VARIIS VITIORVM MENSIVM DENOMINATIONIBVS  
 ET CAUSSIS IN GENERE.

## §. I.

**I**n scholis medicorum iam dudum certae vitiorum mensium species atque denominationes receptae sunt. Prius vero quam has attingimus, non incongruum erit, quid in uniuersum per *mensēs* intelligant, indicare. Est vero *fluxus menstruus* haemorrhagia uteri, quatenus periodice intra menstruum aliquod tempus contingit. (c) Sunt quidem, qui hanc definitionem ideo, quod obseruatur, fluxum menstruum interdum per vaginam euenire, vitiosam esse indicant. At leuitatem huius argumenti quisque perspicit, qui *M. HALLERI* anatomicam uteri descriptionem perlegit, casusque illos, quos hac de materia collegit *V. SNRIETEN* (d) inter se comparauit. Luculenter enim ex his apparet, legibus uaturae hanc solennem excretionem ut plurimum fieri per uasa uterina, aliumque modum per vaginam semper extraordinarii quid prae se ferre: idque cum rarius sit, a frequentioribus definitio formanda.

A 2

§. II.

c) vid. *M. NIETZKI Praeceptoris aeternae colendi Elementa pathologicae uniuersae* §. CCCXXXVIII.

d) *Commentar. in Herm. Boerhaue Aphorism. de cogn. et curand. morb.* Tom. IV. p. 395. sq.

## §. II.

At vero varias fluxus menstrui notiones compositurum ad haec attendere oportet, an menses adsint, vel deficiant? Quando illi adsunt, fieri potest, ut tum quantitate, tum qualitate peccent, aut periodum non rite seruent. Quod quantitatem concernit, ea vel nimis excedit, vel imminuta est: illud *fluxus menstrui nimii*; hoc *parcitatatis mensium* nomine venit. Si vero qualitas utcumque laesa est, *menses decolores* nuncupantur; *inordinati* autem si periodum rite non seruant, In casu, quo deficiunt, vel nunquam antea adfuerunt, et tamen ob aetatis rationem adesse possent, *emansio* audit; vel antea fluxerunt, et fluxus per aliquod temporis spatium intercipitur, *suppressio* vocatur. Quando vero haec excretio sine ulteriori reditu emanet, *cessationem* mensium dicunt. Cum vero non omnis cessatio morbosa sit, siquidem et naturali lege menses cessant, eam solummodo perquiramus, quae morbi soboles est, ac nimis praecociter ingruit.

## §. III.

Redeunt in uniuersum horum affectuum causae tum ad solidarum partium praesertim vasorum vterinorum vitia, tum ad sanguinis vel qualitatem deprauatam, vel quantitatem, aut excedentem, aut nimis imminutam. Interdum quoque, at rarius, in mala vteri et partium genitalium conformatione, aliisque impedimentis ponendae: cuiusmodi sunt concretiones orificii vteri, vaginae, labiorum, hymen imperforatum, membrana praeternaturalis in vagina et ante orificium vteri nata, (e) polypus, hydrosetc. Multifarias, quae remotius agunt, causas, velut animi pathemata, vitae genus etc: commodiore loco indicabo. Multo magis

e) *conf. v. SWIETEN l. c. p. 430 - 436. III. BOEHRERI Viri maxime Venerandi observ. anatom. rariores.*

*Cl. WALTHERI Betrachtungen über die Geburts Theile des weiblichen Geschlechts Berlin 1776. p. 13. sq.*

*TRECOVRT Betrachtungen über verschiedene Gegenstände der Arzneykunst a. d. Franz. Leipzig 1778. p. 19.*

gis nunc ad species turbati fluxus menstrui, morbosque inde ori-  
undos progredior.

## CAPVT II.

DE

## EMANSIONE MENSIVM.

## §. IV.

Quum emanfio ponat abfentiam menftruorum nunquam an-  
tea obortorum, quae tamen ob aetatis rationem adefle deberent (§.  
II.) apparet igitur, ei folummodo obnoxias efle iuniores, quae an-  
num decimum octavum, vtpote qui noftris in regionibus vltimus  
eruptionis menfium terminus efle folet, nondum funt transgref-  
fae. Ex obferuationibus porro conftat, huic vitio prae aliis suc-  
cumbere, in quibus, praeter cauffas generales (§. III.), obtinet tem-  
peries phlegmatico — melancholica, quae vitam agunt fedentariam,  
aut etiam vermes in inteftinis alunt: vti in puella feptendecim an-  
norum expertus fum, aliique obferuarunt. (f)

## §. V.

Sunt vero incommoda, quae ex emanfione emergunt, om-  
nia fere ea, de quibus virgines plerumque circa tempus, quo prima  
vice tributum lunare foluunt, conqueruntur: nimirum intumefcen-  
tia mammaram, grauitas artuum, cephalalgia, vertigo, appetitus  
profratus, naufea, vomituritio, vomitus, praecipue horis matu-  
tinis, fenfus quidam plenitudinis et grauitatis in pelui, colica, tor-  
mina ventris, motusque febriles, fpasmus denique Paracelfi fixus,  
lumbago, malum ifchiadicum. &c. At ingrauefcunt dicta fymptomata,  
fi irriti funt ifti ad menfium excretionem directi motus, tumque  
accedere folent febres variae, conuulfiones, haemorrhagiae narium,  
A 3 aliarum

f) conf. BISSET *Essay on the Epidemical constitution of Great-Bri-  
tain* p. 332. 333. Rosen von Rosenftein *Anweifung zur Kent-  
niff und Cur der Kinderkrankheiten* 3te Auflage p. 476. et  
HIRSCHEL *von der fallenden Sucht* p. 49. fqq.

aliarumque partium, color faciei liuidus et luridus, respiratio difficilis, praecipue sub corporis motu, oedemata pedum, cachexia, hydrops: quin sensuum in et externorum morbos inde enatos legimus. Sic BAVTZMANN (g) furorem observavit ex emanatione quovis mense redeuntem, et per novem dies durantem, larga tandem menstruatione finitum; simile delirium periodicum hac ex causa in virgine observavit cl. MAIAVLT h) quae hirudinum ad genitalia fluxus tempore applicatione sanata est; & LANZONVS i) de femina quadragenaria narrat, quae nunquam menstruas viderat purgationes sed quovis plenilunio insaniebat. Quapropter vero ex hac mensium emanatione sensus etiam externi, horumque organa, morbis affligi possint nemo negabit; cui mirum inter caput & abdominis viscera notum est commercium. Multoties enim inflammationes, lippitudines oculorum in virginibus observamus, quae hoc tempore ut plurimum ex solis spasmodicis abdominalibus, teste RAHNIO k) sunt derivandi. Quid? quod ipsam coecitatem inde ortam in virgine sedecim annorum vidit PECHLINVS l) mox post sanguinis missionem, quae fluxum promovebat, evanescentem. Praeterea quoque varios cutis morbos hoc ex fonte promanare, observationes testantur. Quale exemplum narrat PAVLLINI m) de virgine octodecim annorum cui ob fluxum menstrui emanationem utraque mamma scabiosa crusta satis dura obducebatur. Provocatis autem mensibus omnis quarela cessavit. In facie erysipelate efflorescente, exulcerationem ex mensium emanatione enatam & habitualem factam in *Act. Berolinens.* n) annotatam legimus. Et cutis verficoloris & exulceratae exemplum refert HÜNERWOLFFIUS, o) Similes casus

g) *E. N. C. Dec. II. Ann. VIII. obs. 43.*

h) *Journal de Medicine Tom. X. p. 1. §99.*

i) *E. N. C. Cent IX. obs. 12.*

k) *vid. elegantem V. cl. dissertationem de miro inter caput et viscera abdominis commercio. Goetting. 1771. p. 23.*

l) *Observ. physc. Lib. I. obs. 42. p. 96.*

m) *M. N. C. Dec. 2. Ann. 5. App. p. II.*

n) *Vol. V. p. 48.*

o) *M. N. C. Dec. 2. An. 7. obs. 81. p. 145.*

casus observandi mihi occasionem præbuit collegium clinicum summe Venerandi Præceptoris III. BOEHMERT. Idem Venerandus Vir, Ozaenam hac ex causa ortam in virgine quindecim annorum observasse mihi narravit.

## CAPVT III.

DE

## SVPPRESSIONE ET PARCITATE MENSIVM.

## §. VI.

Vulgare sane valdeque notabile mensium vitium est eorum suppressio. Atque hæc multiplici modo nocet. Notandum vero hic loci, non omnem mensium defectum statim pro morbo habendum esse. Siquidem absque notabili detrimento, in graviditate, lactatione, & a gravioribus morbis plerumque non fluunt; idque magis salutiferum est, legibusque naturæ responder. At ubi variæ afflictiones, præcipue consueto fluxus tempore, ex huius excretionis suppressione nascuntur, recte pro morbifica habebis.

## §. VII.

Atque huic morbo tantum non omnes sunt obnoxia; præ cæteris tamen illi patent phlegmaticæ, melancholicæ, valdeque sensiles. In his enim facilis est spasmodorum productio; in phlegmaticis vero vasa deprehenduntur laxa, sanguisque mucosus; melancholicarum denique sanguis spissior, ac impulsus in vasa tardior esse observatur: apparet igitur inde, quare in his suppressio eo facilius oboriatur, si causæ admittuntur, quibus sanguis mucosior, spissior, impulsusque in vasa tardior redditur, atque vasorum constrictiones augentur. Quorsum spectant vita sedentaria, vitia primarum viarum, victus durus, remedia adstringentia durante fluxu adhibita, abusus acidorum, subitanea mutatio aeris calidi in frigidum, pedum refrigeratio, porus frigidus, corpori calido ingestus, animi pathemata etc. Vt taceam pravam illam consuetudinem, quando, rigente cælo & frigore intensissimo, totum quasi

quasi pectus denudant. Satis enim constat quam arctus sit uteri cum mammis consensus (P.) Idem sentiendum de suppositis carbonibus coelo frigido regnante; unde fit ut fumi acidi et sulphurei nervosum systema afficiant, ac spasticas tensiones inferant. In censum quoque veniunt latrinae, quae quidem a pluribus minime curantur, cum tamen ob impetum aëris per canales longissimos perflantis pari modo suppressionem producere valeant.

SUPPRESSIONE ET PARCITATE MENSIVM

§. VIII.

Enata autem mensium suppressione, non uterus solum, ut pars maxime affecta, ab hydrope scirrho et inflammatione corrigi potest (a), sed aliae etiam partes tam vicinae, quam remotiores variis afficiuntur molestiis: quarum aliae tempore intermedio, aliae tempore fluxus menstrui consueto sentiuntur. Quae intermedio tempore observantur, potissimum plethorae debentur. Ea vero incommoda, quae tempore fluxus consueto apparent a moliminibus naturae ad fluxum mensium producendum tendentibus progignuntur: ut sunt tormina ventris, dolores colici, tensiones in spina dorsi, abdominis intumescencia, appetitus prostratus, nausea, cardialgia, aliique morbi spasmodici. Ut tamen non negem pluries quoque primarum viarum vitia sanguinisque impuritatem, haec damnum adaugere, tum suscitare. Quibus accedunt variae ad viscera congestiones, quae praesertim pulmones, lienem & renes occupant, atque haemoptysin, vomitumque cruentum inferunt. Quae quidem haemorrhagiae mediocritatis terminos non excedentes, plerumque innoxiae deprehenduntur, aut enormes factae in vitae periculum coniciunt miseris. Quodsi vero congestiones perdurant, nec haemorrhagiae subsequuntur, obstructions, inflammationes, scirrhos & exulcerationes in dictis visceribus suscitant: quibus tandem tabes supervenit. Saepius sanguinem menstruum, ad renes

p) legi hac de re meretur cl. REICHARTI disputatio, de uteri connectione cum mammis. Halae 1753. praef. NÜCHNERO

q) HOFFMANN, *Med. rar. system. T. III, Sect. I. Cap. IX. §. VI.*

regurgitantem, nephritidem, calculos: mictumque quandoque cruentum induxisse, observata docent.

## §. IX.

Neque minus inde oriuntur apoplexiae, morbi oculorum, graues cephalalgiae, cephalaeae et hemicraniae, quae mortem nonnunquam inducunt. Qualem cephalaeam cum moribus epilepticis cl. ELLER (†) in foemina triginta quatuor annorum inde ortam vidit. Soluuntur interdum vicaria narium haemorrhagia, vti in foemina illa, quae ob tristitiam suppressa menstrua habebat, et quovis plenilunio saevo capitis dolore afficiebatur. (†) Egomet ipse novi virginem, quae ex mensium suppressione per longum tempus gravissima laborabat hemicrania, cruento demum narium fluxu soluta. Clavos oculi dextri canthum occupantes, et redeunte fluxu cessantes observavit PECHLINVS, (†) HEISTERVS (u), quinimo ipsam oculi procidentiam inde annotavit TVLPIVS (x). Perfectae vero caecitatis exempla referunt *Simon SCHVLTZIVS*, (z) ILL. BOEHMER, (a) et BLOCHIVS, (b), quae ultima a Blochio descripta caecitas cum apoplexia erat coniuncta.

## §. X.

At mentis quoque nervorumque in universum morbi ex mensibus suppressis haud infrequentes sunt. Comprobat id HIPPOCRATES

- r) Medicinische und chirurgische Anmerkungen p. 31.
- s) E. N. C. Cent. IV. obs. 154.
- t) Observ. phys. med. Lib. II. Obs. 58.
- u) Medicinische und chirurgische Wahrnehmungen B. I. p. 437.
- x) Obs. med. Lib. I. Cap. 28.
- z) M. N. C. An. 3. Obs. 259.
- a) A. N. C. Vol. IX. app. p. 61.
- b) Medicinische Bemerkungen II. p. 116. sqq.

TES (c), aliorumque observationes cum his consentiunt. Sic in virgine octodecim annorum melancholiam hac ex causa subortam vidit RIEDLINVS, filius (d), et HELWICH (e) eandem observavit in vidua. Dementiam, maniam, et furorem inde annotarunt BORELIVS (f), FORESTVS (g), et *cl.* GESNER (h). Sed et nervorum morbos inde fuscitari demonstrant tam veteres, quam recentiores scriptores: inter recentiores praecipue excellunt RAHN (i) et WHYTT(k) cuius haec verba extant: „eine Verstopfung oder Unterdrückung der monatlichen Reinigung kann Nerven und hysterische Zufälle, entweder wegen der Sympathie der Gebärmutter mit andern Theilen des Körpers, oder wegen eines Ueberflusses vom Blute, oder endlich deswegen hervorbringen, weil eine den Nerven schädliche Materie im Körper zurückgehalten wird.“ Casus autem observatos legimus apud HELWICH (l) qui virginem hac ex causa epilepticam factam fuisse narrat, tetanum autem inde oriri viderunt, MAILHOS, (m) WHYTT (n); ipsas denique cataleptas observarunt PEFFAVLT (o) et *Michel* (p). Memorabiles sunt etiam

- c) de Morb. virgin. §. 102.
- d) Obs. med. p. 193.
- e) Cas. & Observ. p. 39.
- f) Obs. med. physic. Cent. 2. obs. 30.
- g) obs. med. L. 10. obs. 24.
- h) Sammlung von Beobachtungen aus der Arznei-Gelehrtheit und Naturkunde 1ster Band p. 192.
- i) Disput. c.
- k) sämtliche zur praktischen Arzneikunst gehörige Schriften p. 370 sq.
- l) l. c. p. 45.
- m) Journal de Medicine T. XVIII. p. 350.
- n) l. c. p. 409.
- o) Recueil period. T. V. p. 41. sqq.
- p) ibidem, T. IX. p. 119.



etiam illae paralyfes, quarum SCHENCK, (q) et ZACVT. LVSITANVS (r) meminere. Pari modo notatu dignas puto sternutationes, quas cl. DELIVS (f) et GARMANNVS (t) descripserunt. Ad haec cutis quoque affligi solet, et scabies, erysipelas, furunculi, teste HOFFMANNO (u), inde proveniunt.

Atque eadem fere sunt mala, modo gradu diversa, quae parcitatem mensium insequuntur. Ea quoque ut plurimum in plenariam suppressionem degenerat. Quare dicta ad mensium parcitatem applicanda.

## CAPVT IV.

DE

## MENSIVM CESSATIONE.

## §. XI.

Terminus, quo mensium cessatio proprie contingit, rite determinari nequit. Res hic ita se habet, ut in eruptione. Solet in aliis citius, in aliis ferius obvenire, et plerumque tempori, quo prima mensium eruptio facta, responderet. Maturius nempe cessant, in quibus tempestive obtinuerunt; ferius, ubi tardior fuit eorum proventus. Ordinario tamen intra annum quadragesimum quartum et quinquagesimum incidit, tumque naturalis mensium cessatio vocatur; praecox vero, quando solitum terminum anticipat. Huic

B 2

secun-

q) Obs. med. Lib. 4. p. 63i.

r) Prax. admir. Obs. 38.

f) A. N. C. Vol. VIII. Obs. 108.

t) E. N. C. Dec. II. A. VIII. Obs. 152.

u) l. c.

secundum FREIND (x) obefiores, biliofae, et illae, quae aut tenui victu, aut exercitio multo vtuntur, obnoxiae esse folent.

§. XII.

Praecedunt plenariam catameniorum ceffationem plerumque menfes maxime inordinati, iique teffe PRIMEROSIO (z), mox fupprimuntur, mox qualitate, aut quantitate peccant. Cuius quidem ratio praefertim in eo confiftere videtur, quod hoc tempore ftatus corporis foeminei, illi circa eruptionem directe fit oppofitus. Nimirum in initio huius fluxus foennis, vafa fanguini ad vterum congefto nimis refiftunt, circa finem autem refiftentia maior fit, quam vt fanguinis impulfus eam fuperet.

§. XIII.

Atque tunc temporis, quo confueta ceffatio inftat, femellae in eunt vitae periodum admodum criticam, in qua, excepta aetate infantili, plures, obfervante LEAKE (a) moriuntur, quam quacunque alia periodo. Etenim praeter morbos, qui eruptione menfium foluti, aut faltem mitigati (vid. prooem.) vt plurimum denuo recurrunt, novi quoque generantur, maxime in plethoricis, et in iis, quae appetitui fuo nimis iudulgent, venaefectioes, aliasque falutares excretiones, prophylaxeos fcopo adhibitas, negligunt, vitamque agunt fedentariam. Imminuuntur enim exinde fe — et excretiones, plethora augetur, variique fiunt congeftorii morbi. Succedunt autem illis, teffe LEAKE (b) prae aliis graviffima hysterica pathe-

x) Emmenologia Cap. VII. P. 57.

z) de Morb. mulierum cap. 2.

a) l. c. p. 63.

b) l. c. p. 64.

pathemata, sæpius simul suffocativa; cardialgia tam flatulenta, quam spasmodica; pertinaces intestinorum stricturne et abdominis tormina; una cum nausea, frequentibus vomendi conatibus, quin ipso demum cruento vomitu coniuncta. Pectus invadunt affectus oppletorii, spastici, ipsam hæmoptysin excitantes, aut in cephalalgias, hemicranias et vertigines admodum refractarias, vel partium hæmorrhagias transeuntes. Tandem in extremitatibus ac reliquo externo corporis habitu eveniunt humorum decubitus, et ulcera pedum foedissima; ut sæpius in collegio clinico observare licuit, aut etiam dolores rheumatici intensissimi. Frequentius autem præ caeteris deprehenditur dolor circa os sacrum et vertebrae lumbares ad hæmorrhoides tendens: quæ si fluentes non evadunt, in quibusdam in mictum cruentum, in alijs in malum ischiadicum, vel in podagram transeunt. At in universum inde nascuntur morbi, qui plethoræ, congestionibus, sanguinisque impuritati debentur: ut phlogoses, varii tumores, præcipue mammarum, paralyfes, apoplexiæ, vitia sensuum etc.

## CAPVT. V.

DE

## NIMIO MENSIVM FLVXXV.

## §. XIV.

Prouti mensium defectus largissimum multorum malorum fontem præbet: sic non pauciora ab excedente eorum fluxu oriuntur. In se quidem spectatus, inter femellas hic morbus haud aequè familiaris est, ac suppressio, neque tot stipatur symptomatibus; quæ tamen, uti numero deficiunt, ita secundum FREIND c) vehementia sua invalescunt, ut gravius multo sit a mensibus supra modum fluentibus, quam retentis periculum.

B 3

§. XV.

c) l. c. p. 165.

## §. XV.

Poterit autem nimius fluxus menstruus duplici modo considerari: vel enim statis periodis nimis copiose erumpit sanguis; vel periodi frequentius recurrunt. Ad copiam vero profluentis sanguinis in univrsum quod attinet, accurate describi non potest; quidquid etiam hac de re veteres & recentiores dixerint. Differt enim ratione aetatis, climatis, habitus corporis, ac vitae generis; & quantitas, eaque satis larga, certis subiectis naturalis est, & sanitati conveniens, quæ aliis contra nimia est, naturaeque transcendit modum. Sic in illis, quæ gravi decubuerunt morbo, non tanta in — copia statim post morbum fluunt menses, neque sanitati suæ convenirent, quam in aliis, quæ a morbis fuerunt immunes, aliquin sanæ. Porro in plethoricis præcipue otiosis, per quinque, sex, immo octo dies, in laboriosis e contrario intra secundum diem hic solennis fluxus absolvitur. Apparet igitur recte monente LEACKE semper attendendum esse, an functiones corporis inde laedantur? nec fluxum respective largiorem statim pro nimio habendum & venditandum.

## §. XVI.

Favent huic vitio: plethora, temperies cholericæ-sanguinea, sensibilitas nimia, spirituoforum & volatiliū abusus, graviores animi commotiones, item lascivia, otium, venusque nimia (veneris enim abusu præter alia incommoda sanguis nimia in copia vterum versus congeritur.) Denique is morbusprehendit viduas lautiori diæta gaudentes, libidinofas, virgines viro maturas, libidine feruentes, nimisque speculationibus veneris inhærentes; nec non feminas maritatas circa mensum cessationis tempus (§. XII.), scorbuticas, & in quibus sic dicta emmenagoga fortiora foetum molamque expellentia, purgantia drastica, aliaque humores commovehntia adhibita fuere medicamenta.

## §. XVII.

## §. XVII.

Equidem non nego in tanta causarum, corporum & temperamentorum varietate, non eadem semper in omnibus incommoda observari, sed alia in aliis occurrere, valdeque inter se discrepare. At præcipua hic enumerare iuuabit: ea iam erunt, ut sub invasione sanguis in nonnullis non adeo in magna copia feratur, sed post diem unum, vel alterum augeatur, & sic quotidie incrementa sumat, & in maiori quantitate profundatur. In aliis vero statim sub initio derepente erumpit, magnoque flumine profilit, præsertim si menses intercepti ac suppressi fuerunt. Tunc grumi maiores uti in puerperio excernuntur, sub quorum excretionem dolores spasmodicos in dorso, immo etiam in artubus ipsis sentiunt, qui evacuatis grumis maioribus, & insigni sanguinis quantitate, aliquo modo cessant, sed paucis elapsis momentis redeunt. Ad hæc si diutius durat, virium diminutio, ac corporis infirmitas accedunt, membraque insolite languore & frigore afficiuntur; sequuntur, capitis dolor, vertigo, lipothymia, syncope, anxietas præcordiorum, melancholia, nervorum tremor, appetitus magis magisque prostermitur, fitis vero affligit, corpus, quod antea vegetum & succi plenum erat, fatiscit & extenuatur LEAKE<sup>d</sup>) Agmen horum omnium tandem claudit hydrops, fluor albus, inflammationes, exulcerationes uterinæ, febris hæctica, tandemque mors. FREIND<sup>e</sup>)

## C A P. VI.

D E

## MENSIBVS DECOLORIBVS ET INORDINATIS.

## §. XVIII.

Ad speciem mensium describendam progredior, quæ sexui amabili quidem frequens est, sed non tot periculis stipata, quam huc-

d) l. c. p. 60.

e) l. c. p. 166.

hucusque pertractata. Intelligitur autem per menses decolores quaecunque viciata menstrui sanguinis qualitas (§. II); adeoque necesse erit, ut qualitatem naturalem indicemus. Debet nimirum esse blandus, floridus, valde rubicundus, qualis secundum HIPPOCRATEM <sup>f)</sup> e vena secta victimæ recenter mactata, crvor effluit. Hic qui aut nimis serofus & pallidus, aut mucosus, nigricans, & coagulatus, aut saniei similis, & graueolens, diversimodeque coloratus excernitur, merito pro deprauato habetur.

### §. XIX.

Ex observationibus constat hunc morbum pati subiecta melancholica, cholericæ, phlegmaticæ, & in genere cacochymicæ, nec non ea, quibus menses difficulter erumpunt ac cessationis tempus instat (§. XII.). Similiter sex observationibus patet, feminas huic morbo per longum tempus sine notabili reliquarum functionum læsione obnoxias esse; ast inveteratum malum, mensium suppressionem, chlorosin, fluorem album &c. post se trahere.

### §. XX.

Differendum insuper hic quoque erit de fluxu mensium inordinato. Fieri solet, ut femellæ interdum a consueta naturæ lege aberrant, & aliæ tributum suum ordinarium quocunque mense per duas vices, aliæ autem post bimestre, immo trimestre tantummodo solvant. Apparet igitur duplici modo menses inordinatos considerari posse: nimirum tempus intermedium cuiuscunque excretionis vel nimis est breve, vel nimis protractum. Morbi adeoque a casu priori possibiles, referri poterunt ad *caput* de nimio fluxu menstruo; a posteriori ad *caput* de suppressione, quos ut hoc loco repetamus necesse non erit; sed iam ad methodum medendi, pro instituti ratione nunc progredimur.

## SECT. II.

f) de morb. mulier. Lib. I.

## S E C T I O . II.

DE

## VITIORVM MENSIVM CVRATIONE.

## §. I.

Expositis nunc morbis qui fat graves atque numerosi mensium vitia tum comitantur, tum excipiunt: sequitur, ut methodicam curationem ordine, quem secutus sum, proponam, orsus ab emanfione.

Quum hæc vero varias ponat causas, varia quoque erit curatione, causisque accommodanda. Quare medentem impedimenta, causasque diversas, proximam emanfionis constituentes, remove, sanguinemque dein ad uterum blande allicere oportet. Indicationi priori si debilitas obtinet, quæ recte monente rissor, multo sæpius emanfionis est causa, quam eius effectus, satisfaciunt roborantia: ut Cort. Peruv., Martialia, in varia forma propinata; omniaque amara, nisi modo nimis calefaciant, & hæmorrhagias in partibus æque debilibus: ut pulmonibus etc. producant. In usum quoque ducenda sunt balnea frigida, at si viscerum iam adsunt læsiones, ab iis abstinendum, ne humores inde magis ad interiora repellantur, malumque sic increfcat. Quibus omnibus iungatur moderatus corporis motus, & diæta conveniens. Quoniam autem hanc vasorum debilitatem ut plurimum fluidorum spissitudo, lentor, & visciditas comitatur: non incongruum erit, tonicis resolventia, diluentia, & leniter evacuantia, admiscere. Cui scopo inserviunt Aquæ minerales, Elixiria visceralia cum Rhabarb. & Liquore Ter. fol. Tart., aut infusa ex Cort. Peruv. Aurant. Rhabarb. & Sale mir. Glauberi, nec non vina sic dicta chalybeata, aliaque eiusdem indolis. Interdum his præmittenda aut interponenda digestiva

C

gestiva lenientia atque fortiora purgantia, in primis si colluvies pituitosa ventriculum & intestina obsidet.

In spasticis fibrarum uteri partiumque adiacentium stricturis optime profunt antispastica, externa æque ac interna usurpata. Ex internis proficiunt Nitrosa, Moschus, Castoreum, Liquor anodynus minor. Spiritus nitr. dulc. etc. Externe autem conveniunt balnea tepida, forus ex sapone lacte & herbis emollientibus, nec non si intestina a fæcibus antea sunt purgata, enemata ex aqua tepida cum Laud. liquido Sydenhami aut Moscho parata. Et balnea atque fomentationes opem quoque ferunt, si nimia vasorum uterinarum angustia fluxum impedit. In casu, quo vermes emanationem causari videntur, methodus hic dicata applicetur (vid Boerhave de cogn. & curand. morb. §. 1369.) Emanationi ex redundantia sanguinis, succurrendum venæsectionibus, diæta parca, & vita mobili; in humorum vero defectu indicantur nutrientia, ut iura vitulina, gallinacea, lactinia, potus succoladæ, emulsiones, &c. Quæ omnia, si effectum suum ex voto præstare debeant, vitam requirunt tranquillam & ab omnibus curis & vehementioribus animi pathematibus liberam. Quod tandem ad malam uteri partiumque genitalium conformationem attinet, auxilia ex chirurgicis petenda, quæ propter limites dissertationis hic repetere nolumus. Sed ad indicata alteri indicationi respondentia progredimur. Sunt ea pro circumstantiarum ratione, pediluvia præcipue circa consuetæ excretionis tempus, V. S., scarificationes, frictions, cucurbitularum & hirudinum ad pedes applicationes, & nisi causæ morales prohibeant, coitus celebretur. Pedes quoque semper in æquali conserventur calore, ne sanguinis versus superiora fiant repulsiones.

## §. II.

Ordine nunc pervenimus ad suppressionis mensium curationem. Cui vero cum similis sit ea, quam nunc modo de emanatione pro-



proposuimus: non est cur eidem immorer, sed ad ea potius progrediar quæ in cessatione facienda erunt. At menses vero, qui vel maturius cessant, vix unquam provocari possunt. Quare si leviora pellentia nihil effecerint, non temere iis, reluctante natura, inhærendum, sed potius omnis opera danda, ut congestio ad uterum consueta arceatur, & morbi a sanguine retento oriundi præcaveantur. Ad priorem indicationem pertinet V. S. in brachio, potissimum tempore moliminum ad ordinariam mensium excretionem instituta; adplicatio cucurbitularum in partibus superioribus, æqualis motu corporis facta sanguinis distributio, usus temperantium, coitus denegatio, & animus a vehementioribus pathematibus liber. Ad alteram vero indicationem obtinendam, opus est diæta exquisita, sufficiens potulentorum copia, V. S. iusto tempore instituta, laxantia antiphlogistica & evitatio vitæ sedentariæ.

### §. III.

Nimii fluxus menstrui curatio variat pro causarum diversitate vt et temporis. Aliter enim ei succurrendum in paroxysmo, aliter extra eundem. Quare in plethoricis conveniunt sanguinis missiones, omniaque requiruntur, quæ sanguinis copiam imminuunt, nec eiusdem abundantiam corpori ingenerant: vt parca diæta, motus corporis etc. Ubi spasmi, obstructions et infarctus viscerum malum induxerunt; ibi aperientia, incidentia, antispastica in usum trahenda: acrimonia humorum laborantibus, involuentibus atque incrassantibus consulatur. In paroxysmo autem profunt nitrosâ cum vehiculo appropriato propinata, ad orgasmum humorum compescendum. Porro in morbi initio si vires nondum sunt exhaustæ, V. S. revulsionis causa in brachio instituatur; et fluxu remittente, laxans rhabarbarinum, tamarindinum antiphlogisticum aut pilulas Beccheri genuinas profuisse observatum est. Sic enim *cl. IVNCKER* in conspect. theor. pract. p. 109 loquitur: pilulæ Beccheri genui-

„nae, vel quod melius Stahlianæ, versus somnum adhibitæ, specificæ quadam energia, nimium fluxum placide moderantur. Si vero fluxus observatur valde impetuofus, tunc purgantia plane sunt omittenda. Quod si autem fluxus his non cedat, alia ad hæmorrhagiam sistendam in usum vocanda sunt: quorum spectant Cort. Cascarillæ, Herbæ et flor. Millefol. Balauftiorum, et in malo contumaciori, Cort. Peruv., Mart. Spir. Vitrioli cum aqua remixtus etc. Nec non externis remediis erit succurrendum: qualia sunt epithemata ex Aceto Vini et Aqua frigida regioni pubis imposta, iniectiones in uterum eiusque vaginam ex adstringentibus paratæ, linteamina aceto vini madida, in figuram commodam, vt locis affectis commode applicari possint, coacta, nec non ligaturæ extremorum: At his externis summa cum circumspeditione vtendum. Denique multum etiam confert, iustum vitæ regimen: caueant sibi igitur ægrotae ab omnibus animi pathematibus, ruffi, sternutatione, aere externo calidiore, alius aperta seruetur, quies, situs idoneus, & somnus maximopere commendetur, immodicus vero interdicens.

#### §. IV.

Quod tandem ad reliquorum vitiorum, præcipue paritatis et fluxus inordinati, curationem pertinet: institui ea potest secundum præcepta de obstructione et nimio fluxu menstruo §. §. antecpropofita. In mensibus autem decoloribus eo annitendum erit, vt vitiosa menstrui sanguinis qualitas corrigatur. Quare follicite in causas inquirendum; nam modo debilitas, modo spasmi, modo discrasia humorum in culpa sunt; convenient igitur mox tónica, mox antispasfica, mox resolventia, diluentia et evacuantiæ varii generis.

---

Alt  
Meinen Freund bey seiner  
DOCTOR PROMOTION

den 27sten März 1779.

Wie der Lenz mit Wonnesblicken  
Seine Erstgebohrnen grüßt,  
Und die Beilgenvollen Fluren  
Mit gekühlten Thau kühlt.  
Lacht die zarte Maienblume  
Mit verüngerter Freude an; —  
O! so bricht der schöne Morgen  
Dir zum schönsten Tage an!  
Eile, Freund! zum Ehrentempel,  
Von Uranien geführt,  
Die mit ihren Rosenhänden  
Dich im Doctershute ziert.  
Ihrer Söhne besten Nahmen  
Trägst Du heute stolz davon  
Und in der erhabnen Würde  
Erndte Deines Fleißes lohn!  
Erndt' ihm, wenn die Schaar der Kranken  
Dir mit frohem Danke lacht;  
Wenn Du durch Galenens Weisheit  
Alle hast gesund gemacht. —  
Bist du müde von Geschäften  
Eines Tages, und hast Du  
In der stillen Abendröthe,  
Eine freie Stunde Ruh,  
Bruder! — o so gib der Freundschaft  
Einen sanften heitern Blick. —  
Und dann denke zur Erholung  
Der entflohnen Zeit zurück.  
Denke daß uns Freundschaft bindet!  
Freundschaft die sich nie verliert;  
Ob uns gleich ein glücklich Schicksal  
An entfernte Orte führt. —

Ch.

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
D O M I N O  
AVCTORI HVIVS DISSERTATIONIS

S. P. D.

JOANNES MANIKATI

GRAECVS.

MED. CVLTOR OPPONENS.

*N*on humanitas modo, quae TIBI connata quasi est, verum amicitia quoque, & necessitudo illa arcta, cuius nunquam potero dissimulare iucundam recollectionem, efficiunt, ut, applaudentibus TIBI bonis omnibus, ego etiam conceptum animo gaudium publice tester. Etsi enim ego minime ad te laudandum accommodatus sum, quo officio, Viri laudatissimi ita iam defuncti sunt, ut & dignitas TVA, & prolixia singulorum in TE voluntas postulat: non tamen deserenda fuit haec TIBI gratulandi sollemnis opportunitas. Atque hic fatear necesse est, tantam ex iucundissima TVA consuetudine, ad me venisse letitiam, tantaque officiorum in me TVORVM genera existere, quanta nisi ad TVI amantissimum, maximeque studiosum, proficisci poterant. Ex quibus quantam nostra apud TE valeat animorum coniunctio, adeo evidenter cognovi, ut turpissimam ingrati animi notam, haud effugerem, nisi TIBI dicatissima mente de felicitate TVA palam gauderem. Gratulor igitur TIBI, Amice suavissime, egregium hoc, singularis TVAE eruditionis quam in arte medica comparasti, editum specimen. Gratulor TIBI honores doctorales iam in TE conferendos laborum tantorum praemium, iustamque remunerationem. Faxit Deus, qui auctor, & stator est omnis verae felicitatis, ut ex egregio hoc eruditionis TVAE apparatu, in rem publicam emolumentum redundet amplissimum. Vale, anoremque TVVM, & benevolentiam ita deinceps quoque mihi serva, ut recte cultae amicitiae memoriam nulla temporis diuturnitas obliterare possit. Dabam. in Regia Fredericiana die XXVII. Martii MDCCLXIX.

Epistel



Epistel  
an den Verfasser  
von seinem Opponenten  
Fabri.

---

Wie oft, wie oft — wenn ich an Deiner Hand,  
Der bessern Freundschaft Glück empfand,  
Wenn bey dem leisen Wehn der Abendkühle,  
Ich, in Ergießungen der zärtlichsten Gefühle,  
An deinen Arm gekettet saß,  
Und dann die ganze Welt vergaß, —  
Wie oft stieg da, hinauf wo Silberwölkchen wehn,  
Aus meiner Brust dich heiß're Flehn:  
„O wenn das Schicksal mirs vergönte,  
„Daß ich an Deinem freundschaftlichen Arm;  
„An Deiner Brust, so brav, so liebewarm,  
„Mein ganzes Leben leben könnte!  
Doch Wünsche haben's fast schon zur Natur,  
Sie bleiben meistens — Wünsche nur.  
Nicht Flehn, nicht Wunsch, nicht dieser Tränenblick,  
Hält Dich in meinem Arm zurück.  
O folge' ich heute dem Gefühle meines Herzens,  
Folge' ich der Sprache meines innern Schmerzens;  
Denn weint' ich laut; dann müßt ich Dir die Freuden  
Des Vaterlands und Dir Dein Glück beneiden.  
Doch nein! ich reiße mich von Deinem Busen los,  
Und ewig bleibt mir der Gedanke theur und gros:

Daß



Daß Freundschaft, die Natur und Tugend giebt,  
Auch in Entfernung zärtlich liebt.

Dank Dir! und Kuß und eine Trähne!  
Bey dieser heutgen, feyerlichen Freudenstene,  
Da Dir Hygea, unsre Göttinn, voller Glanz,  
Mit ihrem blüthenvollsten Lorberkranz  
Den Schweiß so vieler Mühe-Jahre kühlet;  
Dank vor die Freundschaft die, als aus Silesia ich kam,  
Mich zärtlich liebend in die Arme nahm,  
Dank Dir! von dem, der's wärmer kühlet  
Daß Sympathie sein Herz mit Dir vereine,  
Dem Du bald Lehrer warst, bald Freund.

Geh glücklich! Wie den Landman seine Saaten,  
So lohne Dich die Ernte Deiner Edelthaten,  
Mit Seeligkeit, mit selbsterschaffnem Ruhm.  
Als Priester in Hygäas Heiligtum!  
Genieße froh des Arztes Menschen Freuden!  
Um Dich schweb' Hallers Genius!  
Entreiße tausend kranke Freunde ihrem Leiden  
Und dann belohne Dich Ihr brüderlicher Kuß!

Wenn aber einst, so sanft wie Afrodite,  
Und schön wie sie, beschneyt mit Mayenblüthe,  
Der Lenz, auf vaterländ'sche Fluren lehrt,  
Und dann in duftigen Amaranthen Lauben  
Beym Fest der Freundschaft und der Trauben  
Dein Ohr, Bardalens Klage hört:  
Dann denke an Salina auch zurück.  
Ans Opponenten Fest, an diesen Tränenblick,  
An deinen warmen Biederfreund,  
Der dieses Festes sich freut, und Deinem Abschied weint.






AK Tu 1083

X 238 0389





B.I.G.

Farbkarte #13

DE  
MORBIS  
SEXVS ELEGANTIORIS  
EX  
VITIIS MENSIVM

CONSENSV  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
IN REGIA FRIDERICIANA  
PRO GRADV DOCTORIS  
SOLENNITER IMPETRANDO

DIE XXVII. MART. MDCCCCLXXIX.

PVBLICE DISPVTABIT

A VCTOR  
IOANNES ERNESTVS ANDREAS KOCH

HANNOVERANVS.

HALAE AD SALAM

LITTERIS CVRTIANIS.

